

monet Gregor. de Valent. lib. 8. de Analog. Fid. Cathol. cap. 8. autores Canonicos eam ob rem propriè dici scribere Spiritu S. dictante, quoniam in doctrina scriptâ tradenda sic illorum operâ Spiritus S. utatur, ut in eo quidem negotio non tam illi agant, quàm agatur à Spiritu S. planè instar calami. *Paulus disertè attestatur, se nihil scripsisse, aut docuisse, quod non in ipso operatus fuerit Deus. Rom. 15, v. 15. Audacius scripsi vobis, fratres, ex parte, tanquam in memoriam vos reducens: propter gratiam, que data est mihi à Deo, v. 18. Non verò πολυήσω λαλῆν τιῶν ἃ κατεργάσατο ἁγίους δι' ἐμῆ. Non ausim quicquam loqui, quod non effecerit Christus per me in obedientiam gentium verbo & factis. Videatur Thomas in aureo scripto super Evangelist. ubi ex Hieronym. & Augustin. probat Evangelium ex necessitate propter hereticos scriptum esse, & Christum Apostolis tanquam suis membris & manibus dictasse ac imperasse, ut scriberent omne id, quod nos legere voluit. Item, Evangelistas ad id electos esse à Christo, ut scriberent.*

THESES V.

Sed & mysteria Evangelij & doctrinam fidei tractant sacra scripturæ, non obiter aut perfunctoriè saltem; sed exactè, plenè & planè. *Constat hoc ipsum;*

1. *Ex ratione docendi, quam sanè exactam satis adhibent Autores, tum V. tum N. Test. Moses legem totam ita proponit, ut etiam minutissima quæq; inculcet, etiam iteratò plurima: Evangelistæ Christi nativitatem, vitam, facta, miracula, doctrinam, disputationes, mortem &c. accuratè describunt. Paulus in Epistolis suis copiosè proponit doctrinam fidei, ut meritò affirmaverit Thomas Proleg. in Epist. ad Romanos: In Psalmis Davidis, & epistolis Pauli totam fere doctrinam Theologiæ contineri. Articulum de Justificatione tradit quàm planissimè. Rom. 3. & 4. &c.*

2. *Ex Confessione propriâ Apostolorum & Evangelistarum. Luc. 1. v. 3. protestatur, se omnia à principio diligenter persecutum esse, & res omnes ordine exposuisse, ut ἀσφαλῆς ἴνδὲ ἔχειν ῥησίν. Paulus Rom. 15. v. 4. disertè ait: Omnia scripta esse ad nostram doctrinam, ut per patientiam & consolationem spem habeamus. Confer Act. 1. v. 16. Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus S. per os Davidis de Juda &c. 2. Tim. 3. v. 15. Sacra litera possunt instruere ad salu-*

100H

A 3,

tem